

cisus est? & qui forte pauci ista adhuc tangere formidant a ceteris  
ridentur; Ita Augustinus; quæ quoniam ante libros retracta-  
tionum scripta sunt, neque tamen pro candore Excellen-  
tissimi Doctoris retractata loco commodo, ubi alia contra  
Faustum Manichæum tacta correxit, inde adeo serio ipsum  
ita sensisse satis constat, ut in gratiam suorum Afrorum, ceu  
visum Cl. Dn. Bartholino, non potuerit immemor sui, id est,  
candoris & conscientiæ fuisse. Accedit, privatam hanc  
ejus opinionem non fuisse, tum ex contextu ejus, quo pau-  
cissimi, & quasi sub dubitationis risusque pariter involucro  
traduntur a sanguine & suffocato per formidinem abstinu-  
isse; tum ex placito Dni Bartholini in gratiam Afrorum  
suorum Augustinum scribentis aliquid omisisse, quod ita ut  
privatum non poterat tenuisse; si enim in gratiam popula-  
rium ita sensit; ergo illi omnes ita sensere; ergo sententia  
non fuit privata. Quod dicitur, non expediisse tunc aliter  
propter Manichæum in Africa scribere, docentem absti-  
nentiæ a carnibus, ovis, lacte & mactatione pecudum,  
quod DEI substantiam in his frustratim diffusam crederet,  
ejus connexionem fateor me non assequi, cum propter Ma-  
nichæum, quem omni modo confutandum censebat Augu-  
stinus, & grandi quidem opere, ut ipse id insignit, haud fu-  
isset conveniens in errore hærere, & gravi adeo, qui hone-  
stati morum sanctæ obviaret, qui publicis scriptis acriter  
defensus Ecclesiis toto orbe dispersis materiem deceptio-  
nis subministraret. Neque opponitur vulgus tantum  
Africanum Manichæo, sed solida Scripturarum sanctarum  
fundamenta, deinde solennis Christianorum libertas in  
medium proponuntur, & tandem Manichæi argumentum  
sic habetur, ut vulgi risu dignum. Hactenus aliter non  
capio Augustini mentem, promptus mutare sententiam &  
cum gratiarum actione seria, si informari aliter mihi con-  
tingat. Augustinum autem ἀναμάρτητον non esse, satis  
constat: At qui alicubi, non is statim in controverso errat.  
Et cur magis a sanguine abstinerent Christiani, quam a car-  
nis esu? Judæorum aut Noachidarum exempla hic non

contra  
Faust. lib.  
32. c. 13.  
lib II. Re-  
tract. c. 7.  
disqv. p. 78.

B

pos.